

lam patitur deletionem, nisi tantum in objecto, quod scitur, adeoque per denominationem extrinsecam. secus ac ἀτιμῶν eraditur, mutatō ipsō monumentō civicō. Grotius itaque non amplius Grotius esse videtur, qui olim rem tractabat *Musica* cum applausu Orbis eruditij. Sunt qui *Apocalypsen* & *Psalmistam*, laudatis locis, de expunctione è libro vitæ prædestinatorum ad gratiam, non verò ad gloriam interpretantur, ex mente *Becani* & sequacium. Verùm duplex illa prædestinatio, ad Gratiam una, altera ad gloriam, sordet *Adamo Tannero*, utpote nec in *Scriptura sacra*, nec in *Patribus*, nec, *Conciliis*, nec, *Scholasticis antiquis* fundata. licet ratione tendentiæ unum ad æquatum terminum constituent, Gratiam & gloriam simul.

Th. Schol.  
T. I. d. III.  
q. 2. dub. 4.

§. 15. Eodem recidit, quod aliis videtur, *absolutè inscriptos libro vitæ*, secundum prædestinationis propositum ad vitam æternam consequendam, *nunquam ex eo deleri*. Sed qui *secundum quid* ac præsentem duntaxat gratiam ac statum justitiæ, ut loquuntur, inscripti sunt, *aliquando ex eo deleri*. nempe ut ii, qui habituri sunt vitam æternam non in seipsa, sed in sua causa, deleri dicantur, non secundum scientiam Dei, quæ nunquam mutatur, sed secundum rem scitam & effectum Gratiæ, qui amitti potest. quia non ad æternam gloriam consequendam fuerant in libro vitæ indelebiter scripti, sed ad breve tantum præsentis gratiæ tempus debili Scripturâ designati. Quæ solutio cum priorè coincidit, & præter *Thomam*, *Gregorio de Valentia*, *Vazquez*, *Tannero*, *Senensi* probatur. meritissimo verò displicuit *F. Svarez*. licet enim de possibili non repugnet cum *Metaphora libri vitæ*: tamen de factō & juxta usum sse liber vitæ nunquam sumitur, nisi pro libro vitæ æternæ, seu conscriptione prædestinatorum ad vitam æternam, non verò pro ordinatione Gratiæ tantum. Nos itaque negativam interpretationem positivæ præferimus. Ad *Exod. XXXII. eod.* quod attinet *Mosen voluntate inefficace*, vel sub conditione impossibili, sui expunctionem postulasse dicimus, quæ velleitas potius est, & adfectus naturalis, quàm actualis volitio.

T. I. d. I. q.  
24. pun 3. ll.  
cc. supra,  
S. n. 21.

§. 16. Sed è diverticulo in viam. Non prætereunda est formula transitionis v. XXXV. עַרְיֵתָּ קָן בִּי עוֹר לְמוֹעֵד  
quâ